



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De retrahentibus à profectu siue salute. Cap. LXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

sustineat. Ipsa quoque quandoque retardatio proficiendi, est via perfectionis dum humiliat. Et ideo Deus pie cursum nostrum temperat, vt longius procedat, & per hoc melius à superbia defendimur: quia sæpe nimia proficiendi securitas, & feruor continuatus, vires corporis exhaurit.

De retrahentibus à profectu sine salute.

CAP. LXX.

TRIA sunt quæ maximè à profectu retrahunt, non solū perfectionis, sed etiā salutis, sicut in pluribus experimur: scilicet remissa voluntas, horror difficultatis, diffidentia de auxilio gratiæ diuinæ. Remissa voluntas vult bonum, sed sine conatu laboris: & ideo consuetudo leuitatis citò retrahit eam à proposito proficiendi. Ideo pigra voluntas seipsam rationis instinctu cogere debet, & quasi pigrum animal stimulis timoris, Dei & spe præmij agitare, & violenter impellere. Horror difficultatis, per discretū & assiduum mitigatur & vincitur vsu. Gratia Dei sicut adest incipientibus, ita non deerit proficere studētibus: & utilius est nobis semper timere, ne fortè subtrahatur nobis, vt tanto studiosius eam conseruare laboremus, quàm si certi essemus quòd non perderemus: quia tunc negligentius eam recuperaremus, & minùs proficeremus. Timor enim facit sollicitum & agilem, & securitas plerunque desidem & torpentem. Dominus noluit filiis Israël dare manna simul cum tanta quantitate vt pluribus diebus sufficeret, sed vt singulis diebus colligerent, excepto Sabbato; designans quòd quotidie panem gratiæ & cibum animæ perere debemus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. & qui

Voluntas remissa.

Horror difficultatis.

Exod. 16. 13.

2. 46. 17. 3.

dat hodie, cras quoque dare paratus est, tãtum nō negligamus perēdo colligere, quantū sufficit ad salutis profectū. Cū in oratione te sentis exauditū, & id quod petieras esse impletū, noli extolli, quasi pro sanctitate tua te Deus exaudierit, & pro tui dilectione fecerit quod rogasti; sed cogita quōd pro sua bonitate id facere per se disposuerit, vel aliorū bonorum preces potiūs attēderit: & gratias age Deo, qui te suæ dispositionis cooperatorem habere, & aliorum suorum amicorum orantium in hoc participem facere dignatus est, vt in orationis actu & pietatis affectu merearis exaudiri, & in exauditionis fiducia consoleras, & ex petitionis tuæ impletione lætificeris, & ex his crescas in amore Dei, qui benignè procurat nobis occasiones quibus ad orationis præsidium compellimur, vt imminētes molestias euadamus; vel bona desideria inspirat, quæ orando compleri postulamus: vt cū rogatus exaudierit, magis ametur à nobis, & tanto sollicitiūs eius voluntati parere studeamus, quo cum nostris desideriis piè & promptè fauere & obedire videmus.

De causis quare non exaudiuntur orantes.

CAP. LXXI.

CAUSAE autem quare non exaudiuntur orantes plures sunt, Aut ex meritis culpæ orantis. Esa. Cū multiplicaueritis orationem non exaudiam. Et causam subiungit: Manus vestræ sanguine plene sunt, id est, peccato. Ioan. Scimus quia peccatores Deus non audit. Esa. Peccata vestra absconderunt faciē eius à vobis ne exaudiret. Aut ex tepore orandi: quia nō feruenter & deuotē oramus. Ier. Orabitur & exaudiam vos, cū quæsieritis me in toto